

§. 2. De *existentia* Metallurgiae Hermundurorum argentariae hodie nemo dubitat. Et si maxime quis oculis eam non viderit, tamen in historiâ celebratam legere poterit. *Casspar Bartholinus*, insignis Vir, in *Sy- stem. Phys. p. 361.* Norwegiam præ aliis commendat: Hodie, inquit, vix locus in terrarum orbe tam argentiferax, atque montes aliqui in regno Norwegiae detecti anno 1623. sub Daniae ac Norwegiae, &c. Rege, Christiano IV. ut si quis olim pollicitus sit montes aureos, Norwegia non tantum argenteos polliceatur, sed reverà præstet. Magna enim frustra eruntur, quæ purissimum & optimum sunt argentum sine ullo ignis adminiculo. Mox tamen ipse fatetur, quod in tota Germania nulla regio hujus metalli copia vincat Misniam, in qua plura oppida insignia ob metallorum viciniam condita fuissent; id quod omninò de superiori Misnia, h. e. nostro Hermundurorum districtu accipiendum est, cum inferior Misniae pars ejusmodi fodinis non gaudeat.

§. 3. Confirmat hoc *Agricola l. 2. c. 5. de vet. & nov. metall.* quod omnium celeberrima argenti metalla sint in Misnia, & ibi quidem *Freibergum* cæteris antiquius & inexhaustum &c. Ubi vicinas *Freibergæ* fodinas simul intelligit, quæ dicuntur *Brandenses, Erbsdorffenses, Halsbrückenses*, ut & *Scharfenbergenses*. Interim *Freiberga* primaria metalliferarum urbium est, quæ propter constantiam venarum atque fertilitatem passim celebratur. Hanc respicit iterum *Agricola*, scribens: Dicunt reprehenses metallicæ quæstum minus esse stabilem, magnisque laudibus efferunt agriculturam. Quàm autem verè hoc dicant, non video, cum *argentaria metalla* ad annos jam quadringentos (nunc supra quingentos) inexhausta durent, & *Schœnbergii* metalli, quod ibidem est, quæstus (*Musbeuth vom Dürren Schönberg*) supra hominis ætatem stabilis permanserit. Quàm laude non minus *Hohenbûrckense* metallum hodiernum in cuniculis splendens celebre est.

§. 4. Quod *originem* ejus seu notitiam attinet, constat, quod circa annum Christi 1170. primùm hæc venæ excavari cœperint, postquam auriga Goslariensis lapide quodam nitidissimo in via repertò domum reversus suis metallicis spem inveniendi argenti fecisset in Misniâ. Vide omninò *D. Moller. Theatr. Chron. Freiberg. Part. 1. sect. 1. cap. 3.* & *Albin. in der Meißn. Berg. Chronick. p. 10. seq.* Hæc ipsa urbs metallorum copia & constantia, civium fide ac fortitudine celebris, cum aliquando studia mea,